



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XLVII. De Regis amtrusione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

agitur, vel per manum nostram videtur esse transfvltum &c. *ut supra pag. 382.*

*Prologi de cessionibus regalibus.*

XLIV. Merito largitatis nostrae munere sublevantur &c. *ut supra pag. 383.*

Item. Perspicue compendiis regalibus illud adscribitur &c. *ut supra pag. 383.*

*Cessio ad laicos.*

XLV. Nihil, ut ait Apostolus, in hunc mundum intulimus, nec quicquam ex eo auferre nobiscum poterimus &c. *ut supra pag. 383.*

*Confirmatio ad seculares viros.*

XLVI. Regiam consuetudinem exercemus & fidelium nostrorum animos adhortamur &c. *ut supra pag. 385.*

*De Regis amittitione.*

XLVII. Rectum est ut qui nobis fidem pollicentur inlaxam, nostro tueantur auxilio. Et quia illi noster fidelis &c. *ut supra pag. 386.*

*Præceptum donationis inter virum & uxorem.*

XLVIII. Dum Dominus omnipotens creator caeli & terræ permittit, juxta quod legitur in principio &c. *ut supra pag. 381.*

*Carta donationis inter virum & uxorem, quæ gestis municipalibus sit allegata.*

XLIX. Quicquid inter conjugatos de propria facultate ob amorem dilectionis &c. *ut supra pag. 408.*

*Alia donatio.*

L. Quandoquidem Deus voluerit inter virum & uxorem, ad pacis vinculum atque concordiam neclendam, ut res eorum inter se condonare deberent, sicuti & fecerunt. Ideoque complacuit atque convenit inter venerabilem virum illum & uxorem illius nomine illam, eò quòd inter eos agnatio minimè esse cerneretur, ut alter alteri de rebus eorum inter se condonare deberent. quod ita & fecerunt. Dedit itaque venerabilis vir ille uxori suæ nomine illa de rebus suis in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. hoc est mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum vvadris, terris, silvis, pratis, pascuis, campis, mobilibus & immobilibus, mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus his nominibus ill. & ill. cum omni integritate vel soliditate, quicquid ibidem jure hereditario ad se pertinere videtur. Similiter visa est reddere uxor ill. nomine ill. præfato jugali suo nomine ill. de rebus suis in pago illo in loco nuncupato ill. super fluvio ill. mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum vvadris,

terris, tam cultis quàm incultis, silvis, campis, pratis, pascuis, cum inviis & perviis eorum, integra omnia & ex omnibus, quicquid ibidem sua fuit possessio vel dominatio. Similiter etiam omne præsidium vel elaborata eorum inter se pars parti visus est donare. In tali verò tenore, ut quisquis de eis pari suo in hoc seculo superstes fuerit, omnes res quas dedit & quas accipit, in suo jure & dominatione recipere debeat, habeatque tenendi, dandi, vendendi, commutandi, heredibusque suis ad possidendum relinquendi liberam in omnibus potestatem. Propterea has duas epistolas adfatimas uno tenore conscriptas inter se fieri vel firmare rogaverunt, ut nullus quilibet de heredibus ac proheredibus eorum hanc congruitatem inter eos factam ullo unquam tempore possit irrumperere, nisi absque ullius contradictione omni tempore firma & stabilis permaneat. Quòd si aliquis de heredibus ac proheredibus eorum hanc cessionem calumniari præsumperit, dupliciter quantum eo tempore ipsæ portiunculae valuerint, & insuper ad partem fisci, auri uncias tantas, argenti libras tantas coactus exolvat, & quod repetit nullum obtineat effectum, sed, sicut diximus, hæc epistola tam à nobis quàm ab aliis bonorum hominum manibus roborata omni tempore firmæ & stabiles permaneant, stipulatione interposita. Actum, & reliqua.

*Obnoxio à patre in filios facta.*

L I. Dulcissimis filiis meis illis. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos &c. *ut supra pag. 411.*

*Donatio quam pater donat filio suo.*

L II. Dulcissimo atque amantissimo filio meo illi, ego ille genitor tuus. Dum & ego te dulciter enutrivim &c. *ut supra pag. 500.*

*Alia donatio de eadem re.*

L III. Ego in Dei nomine ille. Amore Domini nostri Iesu Christi, ut veniam delictis meis &c. *ut supra pag. 501.*

*Charta cum in locum filiorum nepotes instituuntur ab avo.*

L IV. Dulcissimis nepotibus meis illis, ego ille. Quicquid filiis vel nepotibus de facultate pater cognoscitur ordinasse, voluntatem ejus &c. *ut supra pag. 480.*

*Alia de eadem re.*

L V. Ego in Dei nomine ille & conjux mea illa dilectissimis nepotibus nostris necnon & neptibus nostris illis. Constat verò, prout fragilitas humana exposcit, quæ